

147  
D. O. D.  
DISSERTATIO ACADEMICA  
DE

LIBERTATE  
CIVILI,

QUAM

*Consensu Senatus Phil. in Reg. Academ. Aboënsi,*  
PRÆSIDE

MAG. JOHANNES  
BILMARK,

Histor. & Phil. Pract. PROFESSORE Reg. & Ord.

*Publice ventilandam proponit*

*Stipendiarius* ARCKENHOLTZIANUS,

ABRAHAMUS ERICUS  
ARCKENHOLTZ,

Nylandus,

In Auditorio Superiori die XII Decembr.  
Anni R. S. MDCCLXXVIII,

H. A. M. C.

---

ABOÆ

Typis Job. Christoph. Frenckell, R. Acad. Typogr.



S:Æ. R:Æ. M:TIS.  
MAXIMÆ. FIDEL. VIRO.  
NOBILISSIMO. DOMINO.  
**JOHANNI.**  
**IGNATIO.**

REGII. DICASTERII. ABOËNSIS.  
PRO-PRÆSIDI.  
LITTERARUM. ET. LITTERATORUM.  
PATRONO.

SPECIMEN. HOC. ACADEMICUM.  
SOLA. ARGUMENTI. GRAVITATE.  
COMMENDABILE.

SACRUM. ESSE.  
VOLUIT.  
PIETAS.

ABRAH. ERIC. ARCKENHOLTZII.

VIRO

*Admodum Reverendo atque Præclarissimo;*

**D:NO MAG. ERICO**  
**LENCQVIST,**

*Ecclesiarum, quæ DEO in Orihvesi & Erejervi colliguntur,  
Pastori ac Præposito meritissimo,*

AVUNCULO PROPENSISSIMO,

*Ut specimen pietatis meæ, si non tantum, quantum pater-  
na TUA, AVUNCULE PROPENSISIME, in me merita, me-  
aque vicissim in Te veneratio postulant, tale tamen, quale  
præsens rerum mearum habitus permittit, exstaret, Dissert-  
ationem hanc Academicam, studiorum meorum primitias,  
TIBI, AVUNCULE DILECTISSIME, consecratam esse volui; quam  
ut serena excipias fronte, meque consueto TUO favore, ma-  
jorem enim optare mihi non licet, in posterum quoque com-  
plecti digneris, summa, qua par est, animi contentione oro  
& obtestor. Faxit Supremum Numen, ut negotia TUA, que  
in Patriæ & Ecclesiæ commodum semper sunt directa, nullis  
iufortanii aut invidiæ tempestatibus unquam turbentur, sed  
vitam degas, TUO etjam ex voto felicissimam. Sic ego ex  
intimis cordis penetrabilibus opto, TIBI, AVUNCULE PROPEN-  
SISIME, prolixiori mentis adfectu, quam verborum firmate,  
addictissimus; ad extremum usque vitæ meæ halitum per-  
mansurus*

AVUNCULI PROPENSISSIMI

*Cultor humillimus*

ABR. ER. ARCKENHOLTZ.



WALADLA FRUN,  
FRU HEDVIG ARCKENHOLTZ,  
FÖDD ROERING,

MIN HULDESTA MODER.

Wid detta glada tilfälle kan jag ej inför Allmänheten dölja den wördnad och tacksamhet, som jag är MIN HULDESTA MODER skyldig. Knappt hade jag trådt fram på denna werldenes skådeplats, innan jag måste sakna Min K. Fader, som skolat warit min ledsagare och stöd, åtminstone wid de första steg jag tog uppå Lärdomens och Dygdenes wäg. Denna tidiga förlust, som tycktes aldeles störa min wälfärd, har igenom MIN HULDESTA MODERS omwårdnad och sorgfällighet warit för mig mindre kännbar. Huru jag gjordt mig wärdig til alla MIN HULDESTA MODERS wälgjeringar, det skal framtiden i synnerhet utwisa. Swarar framgängen emot mitt beständiga nit at wara tacksam, lærer min årkjånsta aldrig kunna dragas i twiswelsmål. Imellertid och til en början må denna Afhandling, som åt MIN HULDESTA MODER jag nu upoffrar, witna om den beständiga wördnad, hwarmed, under all sällhets tilönskan, jag har åran at til sidste lefnadsstunden framhärda

MIN HULDESTA MODERS

Ödmjuk-lydigste Son  
ABR. ER. ARCKENHOLTZ,



§. I.

Est ea hominum pectoribus insita atque congenita indoles, ut in libertatem, quam bruta etiam animalia magnopere desiderant, tamquam in præcipuum quoddam Divinæ Indulgentiæ munus, & quo nihil generi humano carius in his terris datur, quam maxime propendeant, adeo ut non præter rationem cecidisse videatur Poëta: *Aurea libertas toto non venditur auro.* Erret in horridis tesquis atque profundis silvis Scythia, destituatur plerisque adminiculis, quæ ad corpus sive nutriendum sive tegendum pertinent; libertate tamen sua ferox, sese illis feliciorem censet, qui Attalicas possident opes & marmoreas habitant ædes, dum sui juris penitus non sunt, sed alius imperio subjecti, hujus legibus convenienter vivere tenentur. Fallitur autem Scythia, fallunturque singuli, qui eadem oberrant chorda, & umbram pro corpore, atque nubem pro Junone amplectuntur. Libertatem quidem mentiuntur licentia atque ignave otium, in quibus summum libertatis gradum ponunt nonnulli, sed quæ tamen toto, uti dicitur, cælo ab illa differunt. Illa enim est adminiculum promovendæ felicitatis, hæc suos corrumpunt alumnos & in barathrum infelicitatis ipsos præcipitant: illa hominem permovet, ut placidæ rationis sequatur decreta, ut quod sibi optimum sit, eligat, hæc rationis lucem obnubilant, adeoque



que in causa sunt, quare licentiæ œstro perciti, æquitas limites transgredi non dubitant, non tam anquirentes, quid liceat, quam potius quid in quovis vitæ articulo libeat. Ponunt iniqui hi rerum æstimatores libertatem in eo, quod homo ex arbitrio & sub spe impunitatis possit patrare tam malum, quam bonum; sed eximia hæc, quam sibi fingunt hi, potentia reapse est mera impotentia, quippe quum DEUS, qui ex omnium confessione est Ens liberrimum, non tamen per essentiæ suam sanctitatem aliud facere potest, quam quod bonum sit.

§. II.

Juvat autem, antequam longius progredimur, libertatis indolem paullo plenius exponere. Ex communi loquendi usu libertas est facultas agendi ea, quæ quisque vult, sine necessitate quadam agendi contraria: Voluntas autem est facultas animæ agendi id, quod nobis atque statui nostro convenientissimum, adeoque optimum habetur, saltem ipso deliberationis momento. Hinc enata est definitio Philosophica libertatis, quod sit facultas ex pluribus propositis ac distincte cognitis objectis contingentibus, sponte eligendi id, quod optimum censetur. Ex qua statim apparet, quod quamvis latissime pateant libertatis pomœria, eadem tamen non sint indefinita, sed quod libertas sphaera bonorum eligendorum nunquam egredi debeat; adeoque si quid ultra sibi permittat, libertatis nomen & omen tueri amplius nequeat. Necessarium autem non est impræsentiarum inquirere, in quantum facultas hæc dependeat a iudicio nostro, vel quomodo adfectionem voluntatis nostræ constituat, sufficiat monuisse, quod de libertatis nostræ præstantia nihil decedat, quin potius ipsa habeatur tanto perfectior, quan-

to

to adcuratiores sumus in vero bono eligendo, & quo pressius sanæ rationis ductum in actionibus nostris sequamur. Communi autem mortalium vitio fit, ut quo quid in se fuerit præstantius munus, eo etiam cautius eodem uti debeamus, ne beneficam suam vim sensim amittat; id quod præcipue valet de libertate, cujus sobrius usus quantum valet ad felicitatem nostram promovendam, tantam ejusdem abusus suis cultoribus accelerat perniciem. Sed experientia comprobat, quod quotiescunque placidæ rationis lumen sequimur, vix aliter fieri possit, quam ut ea nobis procuremus, quæ nobis reapse conducunt; quare cum libertas consistat in facultate ex pluribus propositis objectis sponte eligendi optimum; homo quoque eatenus censetur liber, quatenus rationis sanæ ductum sequitur. Tunc enim se ipsum in actionibus suscipiendis determinat: ipse est, qui sponte eligit, & sui est juris, siquidem ea facit, quæ vult, & quæ distincte cognovit sibi profutura; dum e contrario is, qui svavibus adfectuum lenociniis sese abripi patitur, verum bonum ab apparente discernere non valet. Huic enim veluti glaucoma menti objicitur, quo idæ confundantur, passionesque tanto vehementius ipsum exagitant, quanto minorem ipsis a ratione adjutus opponit vim. Quamobrem ambitiosi, avari & voluptuosi revera sunt adfectuum & passionum suarum mancipia, qui nunquam sunt experti, quod rationi parere summa sit libertas; in quos proinde quadrat concinnum illud TACITI effatum: *Incerti, solutique & magis sine domino, quam in libertate.*

§. III.

Enimvero quum primi mortalium experientia frequenti nimis ac tristi didicissent, quam facilis esset liber-

A 2

tatis



tatis abusus, & quot quantaque hinc incommoda, quæ tranquillitatem ac felicitatem eorum turbabant, existent, malis his ingravescentibus non firmiter opponi posse repagulum animadverterunt, quam si in Societates coirent, easdemque certis & ad salutem communem conducentibus legibus firmarent. Leges autem sunt præcepta Imperantis, civibus præscripta, de agendis vel fugiendis. Ipsarum igitur auctoritas non est jugum quoddam, quod cives premit, sed idonea cynosura, quæ ipsos in ambiguis vitæ articulis regit, & simul munimentum, quod probos contra malevolos defendit: immo in ipsis elucet cura paterna, quæ observantiam legum a civibus postulat, ut eos ipso actu felices reddat. Quantumvis enim per se pretiosa sit libertas, ipsa tamen in licentiam, generi humano & cuius Societati exitiosam facile degenerat, nisi ejusdem usus certis regulis fuerit adstrictus. In legibus inveniunt cives tum monita felicitatis, qualia placida dicitur ratio, tum convenientes poenas, quæ legum transgressores certo certius manent. Tantum igitur abest, ut justus legum rigor civium facultatem agendi imminuat, ut potius eandem dextre augeat: leges enim institutæ, ut præveniantur ac puniantur emergentia vitia, plenam libertatem exercendi virtutem, quæ proprium hominis bonum est, civibus relinquunt; conservant igitur nobis vim veræ libertatis & ejusdem pretium, adeo ut stationi, ad quam Divina nos vocavit providentia, rite vacare possimus. Verbo: qui promptam legibus obedientiam præstat, non est legum mancipium, sed a turbulento adfectuum suorum dominio liberrimus.

§. IV.

Evoluta hætenus libertatis, generaliter spectatæ, indole, ostensoque intimo ejusdem cum legibus nexu, proximum

ximum est, ut naturam libertatis civilis specialius tradamus. Hæc autem libertas non consistit in quadam *independentia actionum* ab alterius decreto, nec in quadam *immunitate a nexu omnium obligationum* respectu aliorum hominum, quæ facultates in & per se inutiles, cessabunt omnino in Societatibus, quæ absque ordinis observantia consistere non possunt, nec in *facultate ad alias terras suos transferendi penates*, quando Patria huic vel illi civi quacunque de causa sordeat. Nec libertatem modo memoratam absolvit vel *Liberum veto*, quali privilegio olim gavisi sunt Romani & eodem etiamnum ferocunt Poloni, qui tamen ex omnibus Europæ populis forte omnium minime sunt reipsa liberi, vel *Insurrectio* (a) sed facultas contra Magistratus pro re nata insurgendi, ipsosque e muneribus dejiciendi, quam potestatem sibi arrogarunt olim Cretenses, & a qua parum abluvit illud privilegium, quod sibi sub nomine *Rokos* tribuunt Sarmatæ hodierni, nec *Potestas suam publicis scriptis declarandi sententiam* de modo, quo res publica tam administratur, quam rite administranda foret; qua sese felices existimant Angli, nec in *moderamine penarum civilium*, quippe quod dependet partim ex indole ac judicio Imperantis, partim ex moribus civium regendorum (b); quippe quæ singula momenta essentiam libertatis civilis non ingrediuntur, sed ad ejusdem vel abusum vel accidentalia sunt referenda. Possunt enim cives sub imperio Principis æqui ac justè de libertate civili in sinu sibi gratulari, quamvis neutra prerogativarum modo memoratarum fruantur: Sæpe etiam præsidia ista impedire non possunt ferocem Principem, quin sua potestate impotenter admodum utatur. Libertas igitur Civilis consistit potissimum in facultate, qua quisvis gaudet civis, agendi ea omnia, quæ felicitati publicæ & huic innexæ privatæ sunt conformia, nec unquam ob-



stringatur ad ea suscipienda, quæ his sunt contraria (c). Ut specialius quid dicam, ad libertatem civilem pertinet cum *Tutela*, quam leges in præmium obedientiæ præstant contra eos, qui injusto modo aliquem aggrediuntur, tum *secura possessio bonorum legitime partorum*, tum denique ut illi, qui deliquerint, ex tenore legum cognitarum, non ex solo Principis arbitrio, cujus intervenientes adfectus fas & æquum pervertere possent, judicari queant ac debeant. *Servitus igitur Civilis* consistit in momentis, quæ allatis jam prærogativis sunt e diametro opposita, non autem vel in simplici abusu summæ potestatis vel in defectibus quibusdam formæ imperii, quippe qui incidentes casus primævam regiminis constitutionem non immutant.

(a) Utitur hoc termino Illustris MONTESQUIEU dans l'Esprit des Loix Livr. VIII Chap. XI. Une partie des citoyens se soulevoit, mettoit en fuite les Magistrats, & les obligeoit de rentrer dans la condition privée. (b)

Auctor modo nominatus Libr. VI. Cap. XV. deducit indolem pœnarum civilium ab indole & constitutione imperii, quæ tamen sententia sibi minus constare videtur.

(c) Egregie in hanc rem differit Illustris MONTESQUIEU Livr. XI. Chap. III. La liberté Politique ne consiste point à faire ce que l'on veut. Dans un état, c'est à dire, dans une Société où il y a des Loix, la liberté ne peut consister qu'à pouvoir faire ce que l'on doit vouloir, & à n'être point contraint de faire ce que l'on ne doit pas vouloir. Il faut se mettre dans l'esprit ce que c'est que l'indépendance & ce que c'est que la liberté. La liberté est le droit de faire tout ce que les Loix permettent; & si un citoyen pouvoient faire ce qu'elles défendent, il n'auroit plus de liberté, parce que les autres auroient tout de même ce pouvoir.

Sicut justa disciplina comprimit congenita vitia, ut in desuetudinem sensim abeant, facitque adeo, ut dotes tam animæ quam corporis excellentiori modo in nostram utilitatem sese exerant; ita quoque leges civiles, ceu mox ostendimus, præstantissimum libertatis munus quasi sublimant, ut salutiferos ejusdem fructus tanto securius degustare possimus. Explodenda igitur est illa opinio, inde ab antiquissimis retro temporibus etiam inter Eruditos quosdam recepta, quod homines, sub imperio civili degentes, libertatis naturalis jacturam penitus fecerint, civilem libertatem pro nulla habentes. Quicquid enim hi Scioli de libertate ac servitute Politica sunt commentati, ad vanas pertinet declamationes, in quibus nonnihil ingenii, sed nihil vel parum rationis continetur. Libertati enim talem adstringunt notionem, quæ solummodo est imaginaria, quippe qualem pro præsentis societatum indole obtinere non possunt homines, & si obtinerent, ipsa fruitione omnium infelicissimi evaderent. Vellent enim omnia promiscue omnibus licita essent, sed pravitas humana ita cristas suas erigeret, adeoque cum felicitate civili ac temporali ita actum esset, ut ne umbra quidem ejus amplius superesset. Habent etiamnum homines, sub imperio degentes, tantum libertatis, quantum felicitatis ipsorum ratio postulet; deposuerunt autem residuum, quod habere non debebant. Durum tamen esse contendunt, alieno premi jugo. Fateor omnino; sed heic optimo instituto invidiosum prætenditur nomen. Commendant independantiam, veluti *ἀνεξαρτησία* libertatis; immemores plane, uti videtur, quod excessus libertatis sit licentia, & quod omnis licentia sit corruptio ac pestis libertatis. Sublatum etiam volunt nexum obligationum, ut libertati inimicum,



cum, qua correpti sunt vertigine non perspicientes, quod Principes, etiam potestate maxime absoluta gaudentes ac proinde liberrimi, sint obligati ad salutem civium suorum promovendam, & a suis debeant civibus in eundem ferme modum, quo Patres familiarum a suis dependent domesticis.

§. VI.

Multorum animos jam pridem occupavit præjudicium: quod quo quid antiquius, eo etiam idem foret præstantius. Atque hi sunt, qui antiquas Orbis respublicas, Græcas imprimis & Romanam, in exemplum libertatis ac felicitatis civilis proponunt. Enimvero valet heic, quod olim cecinit PROPERTIUS: *Omnia post obitum fingit majora vetustas (a)*. Ipsa enim docet Historia, quod in liberis hisce rebuspublicis cives omnium minime liberi nonnunquam fuerint. Sic summa Imperii Atheniensis residebat, ceu notum est, apud populum. Qualis autem populus? Respondet Livius: *qui aut servit humiliter, aut superbe dominatur; libertatem vero, quæ media est, nec spernere modice, nec habere novit (b)*. Quare ANACHARSIS de Republica Atheniensium disere solebat, *quod in concionibus eorum sapientes quidem sententiam dicerent, insipientes autem decernerent (c)*. Quoties igitur libertati periculum ab hostibus imminebat, toties ad stuporem usque vicinarum gentium sese defendebant Athenienses, saltem primis Reipublicæ temporibus, dum ad recentia tyrannidis vestigia exhorrescerent. Periculo autem feliciter depulso, & reddita penatibus pace, libertatem flocci faciebant, ut efficiæ sese traderent licentiæ, nullumque fere scelerum ac flagitiorum fuit genus, quod non ferociter commiserunt. Quamobrem non ita admiremur Atheniensium vel

vel fortitudinem in pugnis Marathonia & Salaminia, vel magnificentiam in ædibus, vel pompam in spectaculis, ut non, transversim saltem, intueamur frivolum eorum licentiam in conventibus publicis, factiones, quibus cives continuo distinebantur, seditiones gravissimas, quas in sinu Patriæ iterum iterumque excitabant, viros denique probos & optime meritos per molimina Oratoris deserti, sed turbulenti, injusti & parem non ferentis, in exilium pulsos. In republica etiam Spartana fuit adeo rigida ac circumscripta disciplina, ut Leges Lacedæmoniorum non a benigno Legislatore civibus latæ, sed a moroso quodam Philosopho inimicæ genti videantur obtrusæ; quare aliæ nationes mori potius, quam in potestatem Lacedæmoniorum venire voluerunt: immo ipsi Spartani, non domi, sed inter belli strepitus particula quadam libertatis sunt gavisi. Quum Romani, expulsis Regibus, liberam regiminis formam instituere decrevisset, flagitante hanc populo, prudentioribus placuit consilium, quod Regiam Majestatem non tam imminuit, inducto consulatu, quam potius annuam fecit. Ceterum vix in alia, quam in Romana republica tot frequentes inter diversos civium ordines occurrunt concussiones, tamque graves civium oppressiones ac vexationes; adeo ut Romani, feroces illi orbis Universi Domini, sæpe ad incitas fuerint redacti, atque a turpissimorum mancipiorum sorte parum abfuerint. Si recentius grande quoddam exemplum libertatis, a libera civitate exulantis, quis desideret, adeat rempublicam Venetorum, qui suam patriam, ut genuinam libertatis civilis sedem jactitant, & tamen, ut Historia ac multiplex docet experientia, adeo parum sunt liberi, ut inde ab Principibus civitatis usque ad infimam plebem nemo sit, qui non propter imprudens dictum ac frivolas suspiciones, sæpe indicta & non cognita causa, vita privari possit. Bene igitur



gitur observat Illustris MONTESQUIEU: *Il pourra arriver que la constitution sera libre, & que le citoyen ne le sera point. Le citoyen pourra être libre, & la constitution ne l'être pas. Dans ces cas, la constitution sera libre de droit & non pas de fait: le citoyen sera libre de fait & non pas de droit (d).*

(a) *Vid. Libr. 3. Eleg. I.* (b) *Vid. Histor. Roman. Libr. XXIV: 25.* (c) *Confr. Alexand. ab Alex. Libr. IV. Gen. D. Cap. II.* (d) *Vid. L'Esprit des Loix Tom. II. Livr. XII. chap. I.*

### §. VII.

Quamvis Principatus atque libertas videantur res parum sociabiles esse, re tamen ipsa & per naturam imperii civilis simul consistere & possunt & debent. Non sermo nobis nunc est de larvis illis libertatis, quibus populo Romano quondam illudebant primi Imperatores, qui simulacra quædam potestatis feroci populo relinquendo, vincula servitutis ejusdem tanto arctius confringebant, quanto magis eadem laxare videbantur. Profecto nihil omnino impedit, quin sub Imperio etiam Monarchico, libertas civilis, qualem antea definivimus, & quæ æqualiter distat hinc a tyrannide, inde ab Anarchia, inveniatur ac vigeat. Quum enim Monarcha felicitatem civium, ut unicum suam gloriam promovendi medium, sibi habeat propositam, non potest non tueri & gratia complecti cives, qui legibus latis convenienter vitam suam instituunt, secus enim si fiat, si bene meritos exagitet, innocentes opprimat & civium facultates tributis exhauriat, imperium non amplius est Monarchicum, sed tyrannicum. Contendunt quidem nonnulli, quod in rebus publicis cives tantummodo dependeant a legibus a se la-

tis;

tis; sed quæ sententia mente cæssa esse videtur. Ipsæ enim leges, ne vanæ sint, executioni dabuntur; sed quum hoc per se ipsas præstare nequeant, homines hanc operam ipsis præstabunt: Enimvero quum homines suos patiantur manes & nemo sit, qui adfectibus suis aliquando non cedat, igitur sive uni sive pluribus administratio imperii sit demandata, abusus summæ potestatis in utroque casu erit metuendus. Omnium igitur temporum Historia docet, quod tyranni æque existerint in imperiis Democratico & Aristocratico, ac in Monarchico. Qui ad honores aspirant, quorum arbiter ac distributor est populus, non prensationibus nec viscerationibus aut muneribus parent, indigna multa & vix a servis toleranda, a feroci populo perpetientur, ut votorum fiant compotes. Spontaneam subeunt servitutem, ut ad gradum dignitatis perveniant, a quo aura popularis, qua nihil mobilius, opinione citius ipsos dejicit, & in contemptus ac miseriarum barathrum præcipitat. Idem valet de imperio Aristocratico. Cives igitur in quacunque regiminis Forma, quæ legibus coalescit, libertate gaudent, nam in singulis obligati sunt ad morem legibus, & his manifestatæ Principis voluntati gerendum, qua ratione de tranquillitate & libertate civili in sinu sibi gratulari possunt. Notio igitur, quam liberis civitatibus tribuebant veteres, per quas talem intelligebant imperii constitutionem, in qua cives tantum dependent a suis legibus, & in qua Magistratus arbitraria auctoritas exsultat, est tantummodo idealis, non realis. Græci libertatem suam, ut patrimonium & privilegium, quo ab Asiaticis populis distinguebantur, respiciebant, quare continuas contra imperium Regium habuerunt declamationes. Sed quum vix aliam Regiam potestatem, quam Magni, ut dicebatur, Regis Persarum, quæ absolutus fuit Despotismus, libertati civili inimicus, cognoscerent; haud mirum est,

B 2

si





si sortem suam felicem, Asiaticorum contra infelicissimam  
judicarent, seque liberos, hos autem etiam natura servos  
vocarent. Similiter Tarquiniorum tyrannis & adstutia  
Bruti, qui favum libertatis civibus suis propinabat, in-  
visam adeo reddiderunt Regiam potestatem, ut ne no-  
men quidem Regium ferre potuerint. Liberos igitur se-  
se putabant Quirites, quamdiu Regis titulus & insignia  
e civitate abessent, licet interea Dictatores, Triumviri  
& Imperatores longe majorem in ipsos exercerent pote-  
statem, graviusque eos opprimerent, quam Reges eo-  
rum pridem fecissent. Ex quibus apparet, quod tanto-  
pere celebrata libertas civilis Græcorum & Romanorum  
magis speciosa, quam vera fuerit, egregieque fallat &  
fallatur Aristoteles (a), quando Imperium Democraticum,  
libertatem civilem intendere docet: Libertas enim civi-  
lis non tam a scripta Constitutione publica, quam ab  
exercitio summæ potestatis dependet, & quum unus æ-  
que moderate, ac plures, in imperii administratione se-  
se gerere queat, libertas quoque civilis in qualibet Re-  
giminis forma, Despotismo excepto, consistere potest.

---

(a) Vid. Polit. Libr. VI. Cap. 2.

S. D. G.

